



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

Prima Rauracorum ad Christum conversio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

✠✠✠
BASILEÆ SACRÆ

S I V E

EPISCOPATVS
ET EPISCOPORVM
BASILEENSIVM ORIGO
AC SERIES.

Prima & antiquissima
Episcopatus Basileensis o-
rigo investiganda prius,
quàm Episcoporum, &
gestarum in Diœcesi re-
rum series aliqua, & succincta nar-
ratio contexatur. Vix tamen depre-
hendi poterit illa, in dubia solum
veritatis luce, & obscuris opinabi-
lium umbris, quemadmodum flu-
viorum sæpe inaccessa est scaturigo.
Nec enim satis constare potest, qui-
nam ante annum Christi trecente-
simum, veri Numinis cultum pro-
curarint apud Rauracos, eorumque

A

VICI

vicinos Sequanos, sive (ut vocantur hodie) Sundgoios & superiores Alsatas: tum quod ferreum sæculum literis infœcundum, Celtarum mores, & vitæ genus asperum, posthabitâ omni posteritatis erudiendæ curâ, literas averfaretur eo tempore; tum etiam, quod barbararum gentium crebris in citeriorem Rheni ripam excursionibus, prisca ævi monumenta, unâ cum ipsis urbibus, ferro flammisque absumpta perierint. Multa tamen sunt, quæ verisimile faciant, Rauracos & Sequanos inferiores, statim initio nascentis Ecclesiæ, Evangelij lucem, Româ in Gallias illatam, inter primos aspexisse. Innocentius Papa Epist. 1. ad Decentium: *Manifestum, inquit, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum*
insti-

ad Christum conversio. 3

instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Ve- Anno
Christi
44
nerabilis Apostolus Petrus, aut eius

Successores constituerunt Sacerdotes.

Irenæus S. Polycarpi discipulus lib. 1.
adversus hæreses, affirmat, sua æta-
te, Ecclesias in Germania, & Celtis,
illis scilicet populis, qui Dione teste
lib. 39. utramque Rheni ripam incol-
lebant, erectas jam fuisse. Cùm e-
nim S. Petrus Anno Christi 44.
Claudij Imperatoris 2. Romæ sedem
fixisset, biennij spatio, vigilantissim⁹
Pastor, velut in altiore specula con-
stitutus, percurfans quidem omnia,
singulari contentione tamen cir-
cumspexit, ut ceteras occidentalis
orbis partes Christi ovili adijceret;
divisâ hunc in finem suos inter di-
scipulos curâ & labore. Ita Martia-
lis sortitus est Lemovicenses, Tolo-
sanos ac Burdigalenses: Maternus
& Valerius ad Tribocos, Treviren-
ses, Colonienses, Tungros, &c. able-

A 2

gau.

4 *Prima Rauracorum*

Anno Christi 44 gati. Vienna & Moguntia excolenda Crescenti obtigit. Qua de re plura Baronius tom. 1. addens ex Metaphraſte, S. Petrum, ſub annum 58. Occidentalem orbem Evangelio prædicando peragrâſſe & ad Britan- nos uſque penetrâſſe.

Vetus fama eſt, S. Maternum cum Valerio Diacono, & Euchariorum Epifcopo, Româ in Gallias miſſum à S. Petro, priùs doctrinam Euangelicam Rauracis & Sequanis prædicâſſe, quàm ad inferiores Rheni urbes descenderet. Euchariorum Epifcopi & Confefſoris celebrem facit memoriam Eccleſia Baſileenſis, octavo Decembris. Apud Hellum etiam, ſeu Elegiæ Caſtellum, tribus infra Elcebum, ſeu Seleſtadium miliaribus, extat etiamnum Sandapila, ſive conditorium ſepulchrale, in quo jacuerit mortuus, dum, focij Romam reſgreſſi, baculum, à S. Petro affer-

ad Christum conversio. 5

afferrent, mirè prodigiotum, utpo-
te, cuius attractus vitam cadaveri
post quadragesimum diem exanimi
restituerit. Historiam copiosius re-
fert Beatus Rhenanus lib. 2. & 3. re-
rum German. Iodocus Coccius So-
cietatis IESV lib. 3. Panegyrici Leo-
poldiani c. 2. & Petrus Cratepolius
de SS. Germaniæ pag. 106. Post S.
Maternum, Evangelij sementem a-
pud Rauracos excolendam suscepit
S. Beatus natione Britannus, prædi-
catione S. Barnabæ Christo genitus,
& subinde Romæ sacerdotio initia-
tus à S. Petro, cuius imperio, ad Tran-
salpinos populos se contulit, mag-
nòque studio Helvetijs, vicinisque
Arolæ fluminis accolis, Christi co-
lendi ritus tradidit. Eius vitam Ger-
manico idiomate conscripsit P. Pe-
trus Canisius Societatis IESV, &
post illum Henricus Murer Carthu-
sianus in Helvetia Sancta, aliique

Anno
Christi
41

A a

plures

6 *Prima Rauracorum*

Anno
Christi

44

plures ab ipso relati, nominatim
Franciscus Guillimannus lib. 1. re-
rum Helvet. & lib 2. Habspurg. c. 1.
Ceterum non videntur primi illi
veritatis Evangelicæ assertores uno
in loco ita constitisse, dominantibus
latè Romanis, quin, ubi res fer-
ret, flagrans animarum studium ad
vicinas gentes extenderent, non in-
frequentibus excursionibus; sive ut
tyrannorum persecutiones declina-
rent; sive, ut pluribus creditum sibi
munus impertirent. Ita Crescen-
tem Vienna & Moguntia sibi vendi-
cant: Martialis Lemovicis, Burdi-
galæ & Pictavis Christum annuncia-
vit. Maternus, ut credibile est, eâ
occasione, ultra Rauracos, Sequanos
ac Tribocos, ad Trevirenses, Van-
giones, Nemetes, Agrippinenses,
Tungros, Eburones Christi victri-
ci signa protulit, de quo hic mini-
mè prætermittendum, quod citato
loco

ad Christum conversio. 7

loco refert Coccius ex Aegidio, in ^{Annus} gestis Leodiensibus & Tungrensium ^{Christi} Episcoporum: accidisse nimirum, ^{44.} vi humanâ maiore, ut, cum vir Apostolicus tot Ecclesiarum amplitudini unus non sufficeret, nocte Christo nascenti, die item resurgenti sacra, Ductore Angelo, Trevisis, Colonia, & Tungris rem divinam peregerit.

Et hinc verisimile est, Antistitum Vefontinensium curam & industriam ad ipsos quoque Sequanos & Rauracos sese utiliter porrexisse. Certè, quemadmodum maximæ Sequaniæ Præses, tribunali Vefontione erecto, tunc temporis jus dicebat: ita videntur Christianorum sacri Antistites ad eosdem Romanorum Provinciales Christo aggregandos animi studiumque intendisse.

Coniecturam certiore reddidit auctoritas Socratis, qui lib. 7. c. 30.

A 4

scribit,

8 *Prima Rauracorum*

Anna
Christi
scribit, Rauracos per quemdam Gal-
liæ Episcopum ad fidem conversos.
Et Beatus Rhenanus in Basilea lib. 3.
existimat Basileensis Episcopi tra-
ctum multis annis in Bisuntinæ Ec-
clesiæ Diœcesi seu administratione
fuisse, usque ad Francicarum legum
sanctionem, quâ singulæ Civitates
suos habere Episcopos jubentur.
Crescente nimirum Christianorum
numero, necesse omnino fuit eo-
rundem curam pluribus deman-
dare. Argumento etiam esse possit,
quod Episcopi Basileenses Archie-
piscopo Bisuntino Suffraganeorum
titulo subsint. Vnde liquet, si primis
seculis sacros veræ religionis ritus
& doctrinam Vesontione importa-
tam receperunt Rauraci & Alfata,
poterunt & illi æquissimo jure suos
dicere, quos Bisuntini, Patres & A-
postolos avito cultu & veneratione
agnoscunt, à Joanne Jacobo Chiffle-

ad Christum conversio.

tio part. 2. Vesontionis ex vetustis monumentis eruditè recensitos. Horum quidem primum Linum, è numero 72. Christi discipulorum à S. Petro ad Vesontinenses missum anno 54. quibus ad Christum perducendis posito anni spatio, & ad interim S. Protomartyri Stephano consecrata, ab Ethnicis pulsus, ac post suum Romam reditum, suprema dignitate Pontificia insignitus S. Petro successit.

Anno
Christi
54

Qui verò deinceps Vesontione rem Christianam sustinuerint aut promoverint, iniquissimis temporibus, nullis consignatum tabulis certò reperitur, usque ad tempora SS. Martyrum Ferreoli & Ferrutij, quos S. Irenæus Lugdunensis Episcopus, exempli & fidei lucem eò circumferre iusserat. De his agit Breviar. Vesont. & Surius 16. Iunij & 26. Aprilis. Chiffletius passos censet anno 214.

A 5

II. Bi-

Anno
Christi
284

II. Bisuntinus Episcopus est Maximinus, qui à Caio Pontifice inauguratus, ab Anno 284. ad 296. Vesontinensem rexit Ecclesiam, & in æde S. Stephani ad elegantiorem formam à se restauratâ Clericorum Collegium instituit: cui cùm annos sex præfuisset, in eremo ducendam imposterum vitam privatam excusso publicæ dignitatis & curarum onere adamavit, ea virtutum famâ latè sparsa, quæ ipsi, ut viro sancto cultum publicum mereretur. Colitur autem apud Vesontinenses 29. Maij, in quem diem incidit alterius quoque Maximini festivitas, Trevirensis Episcopi, sancto Athanasio coævi, adeoque nostro posterioris.

298

III. Paulinus. Et hic anno 292. quo apud Agaunum Thebæorum legio decimata, sanguine suo gloriose Christo subscripsit, in Maximini solitudinem tantisper concessit, unde

ad Christum conversio. 11

unde postliminio Vesontionem re-
dux obiit anno 310.

Anno
Christi
310

IV. S. Eusebius Romanæ Eccle-
siæ Diaconus à s. Melchiade Pon-
tificè missus Bisuntinis Episcopus,
annis duobus, mensibus sex, post
multos labores in ea vinea expur-
ganda à nefariis Idololatriæ errori-
bus, ad Beatorum quietem evoca-
tus, sui corporis ipsa charum
posteris reliquit pignus, in æde ho-
nori S. Petri priùs à se constructa se-
pultus, anno 314.

V. S. Hilarius, S. Sylvestri jussu
sub annum 314. Bisuntinis præfici-
tur. Is ipse est, quo-cum multa de
divinis rebus egit Constantini ma-
ter Helena & nomine & virtute
Christiana Reginarum facilè prima,
iis utique deinceps usa consiliis,
quæ S. Hilarius pio Zelo incensus
suggererat, cum illa instituti itine-
ris occasione sacram Divo Stephano
Basi-

Anno
Christi
330.

Basilicam religiosè inviseret. Obiit
S. Hilarius XI. Calendas Aug. anno
330. sanctorum numero adscriptus
in Martyrologio 10. Martij.

VI. Pancharius seu Pancratius à
Julio I. consecratus Episcopus. In-
346. terfuit anno 346. synodo Agrippi-
nensi. Ab Arrianis deinde gravia
passus, obiit anno 356.

Aureo Constantini Magni secu-
lo, prout authenticis compertum
est monumentis, propriis gaude-
bant Episcopis Rauraci, nomen vel
à gente vel ab Augusta Rauracorum
fortitis. Eversâ deinde Augustâ Rau-
ricorum vel ab Allemannis circa
annum Christi 360. vel ab Hunnis
post annum 451. non amplius Rau-
ricorum, sive Rauracenses, sed ab
ex oriente Basilea, Episcopi Basileen-
ses cognominati sunt.

JU-